



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 237. Vtrum voluntas omnia, vel aliqua appetat necessario, sit potentia perfectior, vel imperfectior intellectu, moucat intellectum, vel ab intellectu moueatur, & in ea irascibilis distinguatur à ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

676 De voluntate, & ad ipsam spectantibus.

ter inuenitur vtrumque imperium. Nam anima exercet in corpus quoad motum localem imperium despoticum. Mouet enim manus, pedes, & cetera membra, prout voluerit, nec membra possunt repugnare. At ratio exercet in appetitum sensitiuum imperium politicum, cui appetitus potest repugnare. Ratio est, quia appetitus sensitiuus non solum mouetur ab aestimatiua in brutis, & in homine a cogitativa directa per rationem vniuersalem, sed etiam ab imaginatiua, & a sensu per sensationes presentes. Ideo experimur, quod aliquando irascibilis, & concupiscibilis repugnat rationi, dum irascimur, vel concupiscimus contra imperium rationis, quia sentimus, vel imaginamur aliquid delectabile, vel aliquid mouens ad iram contra prescriptum rationis. Adde voluntatem corpori quoad aliquos motus dominari imperio solum politico, ita vt corpus aliquando moveatur quibusdam motibus contra imperium voluntatis.

QVÆSTIO CCXXXVII.

Virum voluntas omnia, vel aliqua appetat necessario: sit potentia perfectior, vel imperfectior intellectu: moueat intellectum, vel ab intellectu moueatur; & in ea irascibilis distinguatur a concupiscibili?

S. Thom. quest. 82. art. 1. 2. 3. 4. 5.

1. Sanctus Thomas quest. 80. egit de appetitu in genere, quest. 81. de appetitu sensitiuo, questione igitur 82. disputat de appetitu intellectiui, hoc est de voluntate. Articulo igitur primo querit, vtrum voluntas aliquid appetat ex necessitate?

Respondet, quod multipliciter potest aliquid esse necessarium, ita vt non possit non esse. Primo potest esse necessarium ex principiis intrinsecis: & quia duplex est principium intrinsecum, materia, & forma, ideo potest aliquid esse necessarium, vel ratione materiae, vel ratione formae. Ex gr. ratione materiae necessarium est, vt quod componitur ex contrariis, aliquando corrumpatur: ratione autem formae, seu quidditatis, & essentiae necessarium est, vt triangulum habeat tres angulos aequales duobus rectis, & hæc necessitas ab intrinseco dicitur naturalis. Secundo potest aliquid esse necessarium ab extrinseco: & quia duplex est causa extrinseca, finis, & agens, ideo potest aliquid esse necessarium ratione finis, vel ratione agentis. Necessarium ratione finis est illud, sine quo non possumus aliquem finem consequi, vel simpliciter, vel bene. E. gr. cibus est simpliciter necessarius ad conseruandam vitam, at equus est necessarius ad iter, non simpliciter, sed ad bene, & commodè faciendum iter, & hæc vocatur necessitas finis,

vel etiam necessitas vtilitatis. Necessarium ex agente est id, ad quod aliquid agitur ab agente extrinseco contra suam inclinationem, ita, vt non possit illi resistere: & hæc vocatur necessitas violentiae, vel coactionis.

2. Hoc supposito, ponit S. Tho. tres conclusiones. Prima est: repugnat vt voluntas ad actum volendi necessitetur necessitate coactionis. Probat: nam sicut violentum est, quod est contra inclinationem naturae, sic coactum est, quod est contra inclinationem voluntatis; & sicut naturale est, quod est iuxta inclinationem naturae, ita voluntarium est, quod est iuxta inclinationem voluntatis; sed repugnat, vt aliquis motus naturalis sit simul violentus; alioquin esset simul contra, & secundum inclinationem naturae; ergo repugnat, vt aliquis motus voluntarius sit simul coactus; alioquin esset simul contra, & secundum inclinationem voluntatis, siquidem actus, seu motus voluntatis est quadam inclinatio voluntatis. Sed de hoc puncto ex professo disputaui lib. de Actibus humanis in tractatu de voluntario, quest. 10. in qua quaesui, vtrum voluntas possit pati violentiam, vel coactionem, & qu. 15. num. 6. & sequ.

3. Secunda conclusio est: non repugnat, vt actus voluntatis sit necessarius necessitate finis. Probat: nam supposito, quod voluntas intendat finem, necessarium est, vt velit, & eligat medium vnicè necessarium ad illum finem: ex gr. quia nauis est medium vnicè necessarium ad nauigandum, ex suppositione, quod aliquis velit nauigare, necesse est, vt velit yti naui.

4. Tertia conclusio est: non repugnat etiam voluntati necessitas naturalis, qua ex sua natura necessitetur ad aliquem suum actum. Probat: nam sicut intellectus necessitate naturali assentitur primis principiis, sic voluntas necessitate naturali vult suum vltimum finem, hoc est beatitudinem, illicque immobiliter adheret. Ideo Augustinus lib. 13. de Trinit. cap. 4. dicit, quod beatitudinem omnes vna voluntate appetunt; si autem appetitus beatitudinis non esset necessarius naturali necessitate, deficeret in aliquibus. Ratio autem est, quia finis ita se habet in operatiuis, seu practicis, sicut principia in speculatiuis, vt docet Aristoteles 2. physic. text. 89. Addit Sanctus Thomas: Oportet enim, quod illud, quod naturaliter aliqui conuenit, & immobiliter, sit fundamentum, & principium omnium aliorum, quia natura rei est primum in vnoquoque, & omnis motus procedit ab aliquo immobili. S. Augustinus ergo lib. 5. de Ciuit. cap. 10. dicens, quod si aliquid est necessarium, non est voluntarium, loquitur de necessitate necessitate coactionis, quod opponitur voluntario, siquidem amor beatitudinis est maximè voluntarius, licet necessarius necessitate naturali. Sed de necessitate voluntatis ad beatitudinem appetendam egi ex professo lib. de Actibus humanis quest. 13. num. 11. & sequentibus.

8. Ar.

5. Articulo secundo quærit, vtrum voluntas ex necessitate velit omnia, quæ vult?

Respondet negativè. Sed quia de hoc puncto ex professo disputavimus quæst. 18. de actibus humanis, quærentes vtrum voluntas habeat libertatem contrarietatis, vel contradictionis circa purum bonum, & purum malum, circa felicitatem, & miseriam, & circa bona, vel mala particularia, nihil hoc loco est addendum.

6. Articulo tertio quærit, vtrum voluntas sit altior potentia, quam intellectus?

Respondet intellectum simpliciter esse altiozem, & perfectiorem voluntate: voluntatem secundum quid, & in ordine ad aliquid, esse perfectiorem intellectu. Sed de hoc puncto ex professo disputavi libro de actibus humanis, in Tract. de beatitudine, q. 4.

7. Articulo quarto quærit, vtrum voluntas moveat voluntatem diverso genere motionis. Sed de hoc puncto egi quæst. 4. de actibus humanis, num. 21. & 22. ubi etiam explicavi, quo pacto intellectus moveat voluntatem, & voluntas intellectum, & inter se comparavi tales motiones.

8. Articulo quinto quærit, vtrum irascibilis, & concupiscibilis distinguere debeant in appetitu superiori, hoc est in voluntate.

Respondet negativè, & probat ratione à nobis allata quæst. 236. num. 7. & quæst. 166. n. 13. ubi ostendimus in voluntate Angelorum concupiscibilem non distinguere ab irascibili.

QVÆSTIO CCXXXVIII.

Vtrum homo habeat liberum arbitrium? & vtrum liberum arbitrium sit potentia cognoscitiva, vel appetitiva, ac distincta, vel identificata cum voluntate?

S. Tho. quæst. 83. artic. 1. 2. 3. 4.

1. Quæstione 83. agit Sanctus Thomas de libero arbitrio, & articulo primo quærit, vtrum in homine detur liberum arbitrium?

Respondet affirmativè. Probat primò, nam Ecclesi. 15. dicitur: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui*, id est in libertate arbitrij, vt explicat Glossa interlinearis. Secundo probat: nam alioquin frustra essent consilia, & exhortationes, præcepta, prohibitiones, præmia, & poenæ. Tertio probat: nam homo cum habeat intellectum, & rationem, potest per rationem proponere motiva pro vtraque parte contradictionis: ergo potest homo eligere vtramlibet partem, ac proinde habet liberum arbitrium. Ideo S. Thomas concludit: *Pro tanto necesse est, quod homo sit liberi arbitrij ex hoc, quod rationalis est.* Ad id in resp. ad 5. quod licet homo possit habere

re aliquas qualitates, & dispositiones naturales, vel acquiras, per quas inclinatur ad vnam potius partem contradictionis, tamen tales inclinationes subiacent iudicio rationis, proponenti nimirum motiva pro vtralibet parte, ideoque non præiudicant libertati. Sed de hoc puncto ex professo disputavi quæst. 15. de actibus humanis, in qua ostendi liberum arbitrium, seu libertatem indifferentiæ dari, tum in Deo, tum in Angelis, tum in hominibus?

2. Articulo secundo quærit, vtrum liberum arbitrium sit actus, habitus, vel potentia?

Respondet arbitrium dici ab arbitrando, ac proinde ex vi nominis significare actum arbitrandi, seu iudicandi, ac ipsum iudicium rationis. Sed quia sæpe nomina significantia actum ex usu loquentium transferuntur ad significandum principium actus, liberum arbitrium ex usu loquentium non significat actum, sed principium, sed principium actus est potentia, vel habitus: ergo liberum arbitrium, vel est potentia, vel habitus, vel complexum ex potentia, & habitu; sed liberum arbitrium non est habitus, neque includit habitum: ergo liberum arbitrium est potentia quædam. Quod liberum arbitrium non sit habitus, neque complexum, probat Sanctus Thomas dupliciter. Primò liberum arbitrium naturale est homini: ergo si esset habitus, esset habitus naturalis; sed habitus naturales sunt determinatè ad vnum, eo pacto, quo habitus naturalis principiorum est determinatus ad assentiendum primis principiis; liberum autem arbitrium ex sua ratione non est determinatum ad vnum, sed indifferens ad plura: ergo liberum arbitrium non est habitus, neque includit habitum.

3. Probat secundò: nam habitus sunt, per quos bonè, vel male nos habemus ad actus, aut passiones, vt docet Aristoteles lib. 2. Ethic. cap. 6. eo pacto, quo per habitum temperantiæ bonè nos habemus ad concupiscentias, per habitum intemperantiæ malè; per habitum scientiæ bonè nos habemus ad cognitionem veritatis, per habitum erroris scientiæ contrarium, malè; sed liberum arbitrium est indifferens ad hoc, vt per varios habitus bonè se habeat, aut malè; ergo liberum arbitrium non est habitus, neque includit habitum, sed est quædam potentia.

4. Articulo tertio quærit, vtrum liberum arbitrium sit potentia appetitiva, vel cognoscitiva?

Respondet, quod liberum arbitrium est potentia eligendi, ac proinde actus liberi arbitrij est electio, qua eligimus vnum, alio recusato. Si ergo electio est actus potentiæ cognoscitivæ, & est in linea cognitionis, liberum arbitrium est potentia cognoscitiva; si electio est in linea appetitionis, liberum arbitrium est potentia electiva. Ad electionem porro requiritur vterque actus, iudicandi nimirum, & appetendi. Nam ex parte potentiæ cognoscitivæ requiritur consilium terminatum iudicio, quo